

60 R.  
Fr. a B 25

by

I  
z. 636.

2

C. H. HORNII, IC.  
PRÆLECTIONES PUBLICÆ  
DE  
INTERPRETATIONE  
JURIDICA,  
editæ  
*In usum Auditorum.*

---

WITTEBERGÆ,  
TYPIS ET SUMPTIBUS CHRISTIANI GERDESII,  
M DCC VII.

54

C. H. HORNII, IC.  
PRAELECTIONES PUBLICAE  
DE  
INTERPRETATIONE  
JURIDICAE

editae

In officio Auditorum.

---

WITTEBERGAE,  
TYPIS ET SUMPTIBUS CHRISTIANI GERDESII,  
M DCC VII



AD LECTOREM  
BENEVOLUM

**A**Nni jam sunt elapsi plures, ex quo prælectionum publicarum semel atque iterum argumentum selegi doctrinam de interpretatione Juridica. Quæ cum tam necessaria sit illis, qui

);( 2

ope-

operam dant scientiæ legali, ut nullo modo ista carere queant, imo ars Juris sine arte interpretandi, ne quidem mente concipi possit: miratus sum sæpius, qui fiat, quod in Systematibus & Compendiis, quibus in Academicis docentes & discipulis utimur, hæc doctrina negligatur ple-

obc-

)(: s

plerumque, vel sum-  
mo faltem digito tan-  
gatur. Et ob hanc  
ipsam caulam non  
male me agere existi-  
mavi, si, dum jubeor  
cupidae Legum Ju-  
ventuti prodesse, sub-  
inde ad istam doctri-  
nam explicandam ag-  
grederer, atque eam  
Auditoribus meis in-  
culcarem. Feci autem  
illud ea ratione, quam

— 111

);) 3

fa-

facillimam esse arbi-  
tratus sum. Et ideo  
ab illorum institutis  
fecessi, qui nimia &  
molesta solitudine  
argumentum hoc tra-  
ctare, & difficillimum,  
atque ob id exosum  
tyronibus Juris redde-  
re solent. Nam ex-  
pertus ipse sum, mul-  
titudine regularum,  
& terminorum, qui-  
bus sibi placent, ob-  
scu-



securitate intricare il-  
los potius, quam ex-  
tricare rem, quæ facil-  
lime percipi potest,  
si juxta dictamen re-  
etæ rationis simpli-  
cissime proponatur.  
Comprehendi illam  
brevibus aphorismis,  
quos Sectatoribus  
meæ doctrinæ in ca-  
lamum dictavi, atque  
postea exposui ube-  
rius. Et quo inpo-  
ste-

sterum facilius hac o-  
pera defungi queam,  
nolui illis invidere,  
quod typis exscriban-  
tur, atque publicam  
aspiciant lucem. Te  
vero, Lector Bene-  
vole, rogo, veli hanc  
qualem cunque opel-  
lam, qua Studiosae  
Juventuti prodesse  
conamur, æqui boni-  
que consulere. Vale!



DE  
INTERPRETATIONE  
JURIDICA.

CAPUT I.

**C**um officium Jcti in applica-  
tione juris ad factum con-  
sistat; ille vero ea defungi ne-  
quit, nisi intelligat rationem  
indagandi, & exponendi voluntatem  
tum legislatoris, tum etiam singu-  
lorum, ad quorum actiones jus appli-  
candum: operæ pretium esse puta-  
vi, si doctrina hermenevtica, sive re-  
gulae bonæ interpretationis, quibus in  
arte juris opus, publice tradantur.  
Quam reuti neutiquam illos probo,  
qui spissis voluminibus argumen-  
tum hoc tractaverunt, & ineptis ter-  
minis ac multitudine regularum ar-  
gumentum hocce ita involverunt, ut  
quæ perspicua alias & clara, difficilia

A & ob-

& obscura facta fuerint: ita operam dabo, ut, quæ ab aliis late dicta, in compendium redigantur, & quantum fieri potest, planissime exponantur.

*Interpre-  
tatio  
quid?*

¶ II. Ipsa *interpretatio* mihi hoc loco nihil aliud est, quam *expositio voluntatis alienæ dubiæ, sive obscuræ*. Sub qua etiam illam intelligo, quæ verbis generalibus laxis vel strictis nimis exposita est. Quando enim voluntas *certa & plena* est; nulla opus est expositione, & si accedat expositio, quæ fufius voluntatem istam declarat, proprie *interpretatio* non est. Atque hinc hoc non pertinet denunciatio voluntatis alienæ perspicuæ, quæ in negotiis publicis & privatis per legatos, proxenetas, interpretes & similes personas fieri solet. Dixi autem *alienæ*, quia si quis suam ipsius voluntatem antea signis obscuris declaratam ipse clarius exponit, proprie non interpretatur, nec sensum ex signis effert, aut exponit, sed potius novum illis sensum infert. Atque sic authentica, quæ dicitur, *interpretatio*, proprie loquendo, *interpretatio* non est, sed potius nova  
-do 8 A volun-

voluntatis declaratio, licet abusive ita apud Doctores passim audiat.

III. Voluntas aliena est vel superioris, vel parvis. Itaque objectum interpretationis sunt leges, iudicata, promissiones, pacta, testamenta &c.

*Voluntas aliena quomplex?*

IV. Equidem Lex Divina, quam *connatam* dicimus, vel *hominum cordibus inscriptam*, dubio procul etiam interpretationem admittit. Sed illa demonstrationibus utitur ex principiis primis petitis, non argumentis probabilibus, seu fit in interpretatione legis positivæ. Ast de illa interpretatione nunc agere animus non est. Neque etiam in interpretatione legum divinarum positivarum, sive revelatarum; nec etiam interpretatione pactorum Dei cum homine; sed tantum in interpretatione legum humanarum, & rerum aliarum inter homines, præsertim in civitate viventes, gestarum opera præfens occupabit, quamvis non negandum, regulas infra tradendas in interpretandis legibus divinis positivis, & pactis Dei cum homine etiam adhiberi posse. Licet enim in sermone divino

*Voluntas aliena quomplex? Ex factis*

scilicet

A 2

in



in se nulla fit obscuritas: sæpe tamen ob defectum intellectus nostri obscura illa nobis videtur. De istis vero legibus divinis naturalibus & positivis, & illarum interpretatione legi potest. *De Thom. Masius lib. 1. c. 3. l. 2. c. 12. Institutionum Jurisprudentiæ Divinæ.*

*Voluntas colligitur ex signis.* V. Cæterum voluntas superioris vel etiam equalis colligitur ex signis, maxime probabilibus. Signa hæc sunt vel verba; ore vel etiam scriptura prolata; vid. *L. 7. §. 2. ff. de supellect. legat. vel conjecturae*, quæ ex ratione loquentis, vel disponentis, vel patiscerunt, vel etiam ex aliis circumstantiis desumuntur. Et quidem hæc signa vel conjunctim, vel separatim considerantur.

*Ex factis.* VI. Et si autem facta signa voluntatis etiam esse possunt, *L. 5. ff. Rem ratam haberi*: quia tamen verba potiora & frequentiora sunt, *d. L. 7. §. 2. de expositione voluntatis per verba declarata* potissimum sollicitus ero: nullum tamen dubium, ea, quæ dicenda ad voluntatem, factis declarata, sæpe applicari posse, uti etiam ex factis antecedentibus

tibus & consequentibus sæpe voluntas verbis exposita patefieri solet.

VII. Huc pertinet; quod passim *In LL.* Doctores tradunt; circa *Legem*, tria distincta esse observanda: 1. *verba*: 2. *sideranda*.

*mentem*, sive *voluntatem* legislatoris: 3. *rationem* legis. *Verba* sunt quoddam extrinsecum, & velut materiale legis. *Mens* sive *voluntas* est aliquid intrinsecum, & quasi spiritus sive anima legis, quæ verba instar corporis quasi vivificat. *Ratio* est saltem causa finalis, quæ legislatorem movit ad legem ferendam, quæ cum *mente* legislatoris sive *sensu* Legis a plerisque confunditur. *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 8. Frantzk. Tit. de LL. n. 19.*

VIII. Quæ omnia quoque in alia *Et in aliis.* dispositione, quæ non est *Lex*, sunt observanda. Quodsi itaque *voluntatem* ex signis mentis colligimus, h. e. sensum legis, judicati, pacti, testamenti, &c. perscrutando genuinam significationem verborum, rationem, quam motus legislator, iudex, vel alius disponens vel paciscens, atque reliquas circumstantias, eruimus, atque exponimus,

nimus; *interpretatio doctrinalis* id dicitur & hæc proprie interpretatio est, & ad JCros pertinet, estque 1. *Declarativa*, 2. *Extensiva*, 3. *Restrictiva*.

## CAP. II.

DE

## Interpretatione Declarativa sive Explicativa.

*Quid sit?* **I**nterpretatio *Declarativa* sive *Explicativa* est, qua genuinus, immediatus & literalis sensus loquentis ex significatione verborum propria vel impropria eruitur, vel que mentem alicujus exponit, prout verba jacent, sive que docet, quid quisquis eloqui voluerit. Atque adeo hæc interpretatio non explicat tantum verba in se considerata, sine respectu cogitationum ejus, qui verba protulit, qualis est *Criticorum* & *Grammaticorum*; sed sententiam respicit loquentis vel scribentis, illamque e verbis eruit; quod est *Logici*, & *JCti*.

II. Ne-



II. Necessaria est ideo, quia tum in *Necessitas*  
*singulis verbis, sive vulgaribus, sive technicis* latere potest, tum in *complexu*  
*verborum* vel in *contextu* orationis, aut  
*utrinque* quædam adesse obscuritas.

III. Scilicet singula verba aut etiam *Verba*  
*integræ propositiones* sunt vel *obscura*  
*re, vel perspicua.* Hæ sunt, ex quibus, *perspicua* s;  
 quid loqui voluerit quis, dilucide &  
 distincte statim cognosci potest, quæ  
 vel adeo a peritis lingvæ, in qua ver-  
 ba prolata, & negotii, de quo actum,  
 facile intelliguntur. Atque si hæc ad-  
 sunt, interpretationi declarativæ locus  
 non est, sed illa potius superflua & ri-  
 dicula. *L. 25. §. 1. ff. de legat. 3. L. 137. §. 2.*  
*ff. de V. O. L. 27. ff. qui test. fac. poss.* Nisi  
 fortasse dicere velis, in gratiam illius,  
 qui negotii imperitus est, si alterius  
 mentem cognoscere velit, esse opus  
 ea interpretatione. *Voces autem* *Alia ob-*  
*vel propositiones obscura sunt,* quæ a *scura.*  
 peritis lingvæ & negotii, de quo ac-  
 tum, atque artis hermenevticæ, vel  
 plane non, vel difficulter intelligi pos-  
 sunt. Atque hinc aliæ laborant ob-  
 scuri-

*scuritate, que tolli non potest; alie, que tolli potest ab interprete. Hæc est huius loci, non illa: quippe que authenticam exigit interpretationem.*

IV. *Obscuritas illa provenit vel (1.) a figura externa verborum, vel (2.) ab interno illorum sensu. Quemadmodum autem verba proferuntur vel ore, vel scriptura, ita utroque modo aliqua obscuritas contingere potest. Priori casu, si sonus minus articulatus proferatur, quod in illis fit, qui natura difficulter loquuntur, vel in ultimo mortis articulo constituti, vel quibus per morbum quendam lingvæ usus impeditus. L. 7. ff. de supell. leg. L. 9. ff. de edil. edict. L. 15. C. de testam. §. 7. l. de inut. stip. Dixi minus articulatus: quoniam si sonus plane est inarticulatus, *ævapdε* prolatus, nulla potest adhiberi interpretatio. d. L. 7. ff. de supell. leg. Casu posteriori, si scilicet scriptura verba sunt prolata, variis modis obscuritas adesse potest. (1.) Si voluntatem exponens vel ipse, vel scriba, in con- vel transcribendis verbis *vltium* commiserit. L. 92. ff. de R. J. L. 24. C. de testam. (2.) Si*

Obscuri-  
tatis cau-  
sa:  
(1.) a figu-  
ra exteri-  
ora verbo-  
rum.

(2.) Si deficiant *interpunctiones*, aut suo loco non sint positæ. Vid. *J. Godof. qd L. 3. ff. de Off. Prat.* (3.) Si litterarum ductus non sint *legibiles*, aut *vitio & incuria scribentis*, aut ob *etatem* sive *vetustatem*, vel ob *vitium chartæ* aut *atramenti*. *L. 77. §. 22. ff. de leg. 2. L. 11. §. 3. ff. de instit. act.* Porro si adsunt (4.) *abbreviature*, quas veteres *sigla*, & *notas* vocabant, de quibus vid. *L. 1. §. 13. L. 2. §. 22. L. 3. §. 22. C. de vet. jur. enucleand. Nov. 73. c. 6.* Vel denique (5.) *lituræ* sive *inductiones*. *L. 1. ff. de his, quæ in test. del. L. 1. ff. si test. tab. extant.* Huc pertinet quoque illa ratio scribendi, quam *σημανωρικία* sive *νεγμωρικία* vocant, ubi non litteris consuetis, sed signis & characteribus peculiaribus, vel etiam punctis mens nostra exprimi solet; qua parte peculiaribus artis regulis opus, ut ejusmodi scripturam interpretari possimus.

V. Ex *interno sensu* obscuritas etiam nasci potest, si sint *obsoleta*, sive *no sensu* adhibita eo tempore, quo in usu erant, sive etiam hodie. Qualia in legibus XII. Tabb. sunt *Gell. I. 10.* & in legibus

*Allemannorum, Francorum, Longobardorum* &c. habentur. His intelligendis *Glossaria Goldasti, Freberi, Lindenbrochii, Du Fresne*, adhibenda sunt; illis vero *Gellius, Brissonius*, similesque scriptores, qui significationes verborum excussere. (2.) Si noviter sint confecta, ita ut vel antiqua significatio in alium sensum antea haud usitatum trahatur: exemplum est in *L. 7. §. 1. & 2. ff. de supell. legat.* vel plane nova excogitentur, quæ in Scholasticorum libris occurrunt, & in scriptoribus mediæ, & infimæ latinitatis. (3.) Si voces peregrina immisceantur sermoni, quarum vis non æque cognita, quale quid fit ab illis, qui præter necessitatem verba *Gallica, Italica*, sæpe non satis intellecta, vernaculo miscent sermoni. In Jure nostro sæpe *Græca* miscentur, plerumque tamen addita interpretatione latina, ut in *L. 9. ff. de extraord. cogn. & L. 10. ff. eod.* (4.) Si verba sint ambigua, atque duas vel tres significant res, quod frequentissime contingit, quia plures res sunt, quam vocabula, *Gell. XI. 12. L. 4. ff. de prescript. verb. L. 67. ff. de R. J.*

Qua

Qua quidem in re fit, ut vis vocis ad plures res æqualiter pertineat, & quidem ad unam proprie, ad alteram autem improprie; quale exemplum est in *L. 57. §. 7. ff. de leg. 3.* ratione bibliothecæ: vel utrumque proprie: e. gr. *Gallus, jus*, quarum illa & hominem, & avem, hæc vero & legem, & offam denotat; conf. *Gellius IX. Noct. Attic. c. 12.* vel etiam, ut una sub altera contineatur, quando scil. genus pro specie, vel species pro individuo ponitur. Exemplum est in *L. 108. §. 2. ff. de leg. 1. L. 66. §. 3. ff. de leg. 2.* Aut quando nomen generis applicatur speciei. *§. 1. ff. de adopt.* Vel deinde, quando nomen aliquod proprium pluribus individuis commune est, *L. 32. §. 1. ff. de leg. 1. L. Duo sunt Titii. 30. ff. de testam. tut.* Vel quando vox masculina comprehendit sexum fœmineum, *L. 1. ff. de V. S.* Denique si usus artis alius est, quam vulgaris, *L. 2. ff. de his, qui not. infam. Gell. XX. 10. Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. 16. §. 3.*

VI. Potest tamen obscuritas etiam Complexus esse in complexu orationis, licet singula orationis ver- obscurus.

verba in se perspicua sint, quando scilicet vel *omissa* sunt, quæ non *omittenda*, qualia exempla in *L. 106. ff. de leg. 1. L. 67. §. 9. ff. de leg. 2. L. 125. ff. de V. S.* habentur, *L. 7. C. de Test. & apud Cicero- nem lib. 2. de Inventione c. 116. Heres meus uxori meæ vasorum argenteorum pondi centum*, quæ volent, *dato*, vel etiam quando *abundantia* adsunt, quæ intellectum reddunt intricatiorem, & voluntatis quæstionem inducunt, licet ipsius rei veritatem & substantiam non immutent, neque vitient, *L. 32. §. 6. ff. de aur. & arg. leg. L. 2. §. 46. ff. de instrum. leg. L. 65. pr. de V. O.*

Perplexi-  
tas.

VII. Potest etiam obscuritas aliqua nasci ob *perplexitatem* sermonis, dum scilicet quicquid ex duobus constituerimus verum esse, falsum tamen reperitur. Quod genus *ἄνω ἐπιπέδων* apud Stoicos, & apud Gellium inexplicabile dicitur. *L. 88. ff. ad L. Falcid. Gellius lib. 9. cap. 15.* quando scilicet unus intellectus impeditur per concursum alterius. Quod oritur vel ex sola verborum inspectione, ut in *L. 16. ff. de con- dit. inst. vel ob supervenientem ca- sum,*

110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200

sum, ut in *L. 13. ff. de lib. & posth. L. 10. §. 1. ff. de reb. dub. L. 30. ff. de leg. 1.* quæ perplexitas interdum plâne tolli non potest: id quod de casu *L. 16. ff. de condit. instit. Julianus & Marcianus* ibidem asserunt.

VIII. Denique obscuritas nascitur *Contra ob contrarietatem sive pugnam, vel in uno rietas* loco, vel in diversis, quando nempe duæ adsunt orationes pugnantès, vel oratio & demonstratio inter se pugnant. *L. 13. §. 30. ff. de reb. dub. L. 34. §. 1. ff. de leg. 1. L. 14. C. de fid. instrum. L. 2. §. 5. ff. de vulg. & pupill. substit.* Quorum sum pertinent omnes *antinomie*, quarum inter *Jctos* frequens est mentio.

IX. Atque hæc sunt causæ *proxime* obscuritatis, quæ inter homines *Causæ remotiores* remotiorem habent (1) *dolum*, loquentis, vel scribentis, *L. 43. §. f. ff. de contr. empt. vendit.* Quorum etiam pertinet institutum *Caligula*, de quo *Svetonius* agit *c. 41.* quando nempe data opera obscuræ leges proponuntur, ut eo facilius cives pro delinquentibus haberi, atque fisci commoda augeri possint. (2) Eorum *Culpam*, *L. 39. ff. de pact. L. 21. ff. de contr. empt. vendit.*

L. 99. ff. de V. O. Sub qua etiam imperitia comprehenditur, L. 132. L. 3. §. 1. ff. de supell. leg. (23.) Casum, ut in illis contingit, quæ eventu vel acate obscura sunt.

*Falsos causas* X. Sunt, qui ad obscuritatis causam referunt nimiam perspicuitatem verborum, ob quam etiam fieri solet, quod Jcti, quorum fragmenta in ff. extant, non ita facile ab omnibus intelligantur, cum plerique hominum advescant vulgari latinitati, nec capiant idiotismum ac vim purioris. Sed hoc ad vitium hominum magis, quam rei, quam interpretari debemus, referendum est. Scil. non negandum, sæpe & culpam apud illos reperiri, qui interperari aliquid debent, cum vel nolint interdum intelligere opera data, quæ tamen possunt, vel non ea, qua decet, instructi peritia, aut cura rem aggrediuntur. Atque hoc maxime in interpretandis legibus divinis, ubi legislatori nulla culpa adscribi potest, fieri solet.

XI. His ita præmissis jam ad regulas deveniendum est, quibus obscuri-



fcuritas tolli, & bona interpretatio declarativa fieri potest, quæ regulæ sunt vel *generales*, vel *speciales*. De illis primum; postea de his dicendum.

XII. Cum itaque omnis interpretatio eo tendat, ut sensus congruus & aptus negotio, de quo agitur, eruat, omnium prima generalis & ad omnia obscuritatis genera tollenda pertinens hæc est regula: *Verba sunt intelligenda secundum materiam subjectam.* Quam aliis paulo verbis, eadem tamen mente habet etiam *Julianus in L. 67. ff. de R. J.* Cujus regulæ ratio in eo consistit, quod credibile, loquentem vel scribentem confirmasse sese naturæ actus sive negotii, de quo agitur, & sic de illo secundum naturam ejus loqui & sentire voluisse. Hæc regula cum illa Logicorum convenit: *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis, & vice versa.* Sic si e. gr. literarum sonitus, vel figura dubia, & incertum, num quis *testamentum* vel *vestimentum* dixerit, vel scripserit? ex materia substrata, sive negotio, de quo

*Regula  
Generales:  
1. a substrata  
materia.*

quo sermo fuit, facile licet iudicare, quamnam vocem loqui, vel scribere quis voluerit. Item si ambiguum verbum prolatum, e. gr. si hostis iussus fer-  
*Regula*  
*Genera*  
*Leg*  
*Sub*  
*Inter*  
 rum deponere, apparet facile, non de *fibulis*, sed *armis* id intelligendum. Eodem modo, si vocabulum *heredis* in materia *Feudali* reperiat, ex substrata materia apparet, id tantum de heredibus masculis intelligendum esse. *Jurispr. nostra Feud. c. 1. §. 45.* Sic deinceps, quando in complexu orationis ambiguitas adest, ut in exemplo ex Cicerone *supr. §. 6.* allato, facile apparet ex substrata materia, nempe *legato*, esse questionem dubiam eruendam: in qua quidem materia licet alias electio sit penes legatarum, aliud tamen obtinet hoc casu, quando verba ad heredem sunt directa. *Vinnius ad §. 22. l. de leg. Diffent. Pufendorf. de J. N. G. & C. lib. 5. c. 12. num. 5.* Sic etiam pugna interdum vel contrarietas hac regula tolli potest. Exemplum est & peti potest ex *§. 6. l. de suspectis vtr. junct. l. 7. §. 1. & l. 3. §. 28. ff. eod.* Licet enim vocabulum *culpæ* absolute positum culpam meam  
 cup  
 diam

diam significet, *L. 5. §. 2. ff. Comm. L. 23. ff. de R. J. in §. tamen §. 1. de susp. tut.* substrata materia satis indicat, culpæ vocabulum in *d. §. 6. 1. de susp. tut.* absolute positum, culpam latam denotare. Qui uberio- rem hujus regulæ explicationem desi- derat, adeat *Everbard. loc. top. 93. & Bar- bosam locupletatum libr. 19. c. 9. axiom. 21.* II. Ex fon-

XIII. Proxima huic regulæ ex fonte conjun- te conjunctorum petita sequens est, *florum.*

quæ & ipsa efficit, ut de materia sub- strata facilius constet: *In omni inter- pretatione ad consequentia & antece- dentia vel conjunctim, vel separatim est respiciendum. Cic. Lib. 2. de Invent. c. 117.* Nam credibile est, loquentem vel scribentem intermedia ante- vel post- positis convenientia proferre voluisse. Huc pertinet *L. Incivile. 24. ff. de LL. L. 2. §. 14. C. de vet. jur. enucleand. L. 50. §. f. ff. de leg. 1.* Exemplum est in *L. 21. §. 1. qui test. fac. poss. L. 4. §. 6. ff. de pen. leg. §. 15. 1. Ad L. Aquil.* Huc pertinet argu- mentum a rubro ad nigrum, de quo vid. *Everhardus in loc. top. 92. & Dis- fertatio Dn. Linckii de Rubro & nigro Altorfi. habita & edita.* Huc referen- da

da etiam ars illa συνθέσις, sive συναρτοποίησις, qua unius Jcti vel Imperatoris sententiæ & constitutiones, vel aliæ unius legis particulæ disjectæ iterum conjunguntur, & sub autores suos rediguntur, sicque iterum in unum corpus coeunt. Quo facto de mente auctoris facilius, quam ex Corpore Juris constare potest. Quorsum Cujacii, Jac. Gothofredi, Labitti, Freimontii, & similium scriptorum opera tendunt. Fatendum tamen, non semper virorum istorum interpretationes negotiis applicari posse: quandoquidem omnia illa, quæ continentur in Corpore Juris, nullam habent auctoritatem, quatenus ab autoribus suis relicta, sed quatenus a Justiniano in Corpus Juris relata, L. 3. §. 10. C. de V. J. Enucl. Const. Hec. de novo Cod. facienda. & usu hodie apud nos recepta.

III. Ex eodem loco. XIV. Ex eodem fonte conjuncto-  
rum loco sequens quoque regula fluit  
ex sententia Grotii: Illa interpretatio  
amplectenda, quæ loquentis vel scriben-  
tis rationi, tum intrinseca, tum extrin-  
seca congruit; & illa rejicienda, quæ ab  
eadem

*eadem discrepat.* Est autem ratio *intrinseca*, nihil aliud, quam *causa finalis*, ob quam ille, qui locutus est, vel scripsit, ita voluit; *extrinseca* autem est *ocasio*, qua data scripsit vel dixit aliquid, vel fecit. Fundamentum hujus regulæ in eo positum est, quia credibile, quemlibet ita sentire, loqui vel scribere, ut fini, quem intendit, sit conveniens; atque quemlibet id agere, quod occasio postulat. Exemplum in *L. 13. §. 2. ff. de excus. tut. L. 67. §. fin. ff. de leg. 2.* Quoniam vero hæc regula quoad rationem *intrinsecam* ad interpretationem *extensivam* & *restrictivam* quoque pertinet, infra ea de re latius agemus.

XV. Deinde ex loco *conjunctionum* IV. Ex *lo- origine* hæc regula fluit: *Obscuræ locu- co conjun- tiones ex sermone ejusdem auctoris alio etorum in loco, vel alio tempore plane & perspi- origine. cue expresso, sunt explicanda.* Ratio, quia non credibile est, voluntatem quempiam mutasse, aut contraria voluisse, nisi de eo liquido constet. *L. 26. ff. de LL. L. un. C. de inoff. dote.* Atque hoc est, quod & Theologi pas-

sim dicunt, scripturam ex scriptura, & quod Jcti in ore habent, Legem unam ex alia, instrumentum ex instrumento esse explicandum. Exempla sunt in *L. 91. §. 3. ff. de Legat. 3. L. 50. §. 3. ff. de Legat. 1. Conf. dicta tb. 13.*

*V. Ab effectu.* XVI. Ab effectu sequens regula V. desumitur: *Verba ita sunt explicanda, ut effectum fortiantur, atque negotium valeat potius, quam pereat. L. fin. ff. ne quid in loc. publ. L. 80. ff. de V. O. L. 12. ff. de reb. dub. §. L. 34. §. 1. ff. de legat. 2. L. 109. pr. ff. de legat. 1. Vid. Barbof. Thefaur. locuplet. Lib. 19. c. 9. Axiom. 23. Et*

*VI. Ab eodem.* VI. Omnis interpretatio ita fieri debet, ut evitetur absurditas, atque ut sensus eruatur verisimilis. *L. 4. §. 6. ff. de Offic. Proconf. L. 21. ff. de negot. gest. L. 1. §. 4. ff. de publican. §. vectigal. §. 4. I. de adopt. L. 5. pr. ff. ad L. Aquil. Everhard. Loc. Top. 23. Mantio. de Tacit. §. ambig. convent. Lib. 2. tit. 13. Utriusque autem hujus regulæ ratio in eo posita, quod credibile sit, hominem sanæ mentis noluisse actum frustraneum, sive adversum rectæ rationi suscipere. Nec non*

*VII. Ab eodem.* VII. regula: *Verba ita sunt explicanda, ut*

ut non pugnent cum Legibus. L. 15. ff. de condit. instit. L. 55. ff. de legat. 1. L. 9. §. 13. & L. 10. ff. de hered. inst. Quorsum pertinet & illa vulgata regula: *Omnem interpretationem ita fieri debere, ut delictum excludatur.* Vid. Barbosa d. l. lib. 4. c. 13. §. 20. Ratio est, quoniam credibile, hominem sanæ mentis & bonum virum non agere contra Leges, quæ pro norma actionum a Superiore sunt præscriptæ.

XVII. A qualitate personarum hæc regula desumitur: *Verba in dubio ita VIII. A sunt interpretanda, ut qualitati & con-qualitate ditioni persone loquentis, vel ad quem persona sermo dirigitur, vel de quo locutus est, rum. conveniat.* L. 50. §. 3. ff. de Legat. 1. L. 11. ff. de ann. legat. L. 52. §. 4. ff. de Legat. 3.

Cui sequens affinis est: *Interpretatio ea capienda, quæ affectioni cujusque ad personam, vel ad rem est conveniens.* L. 50. pr. §. 1. 2. & 3. ff. de Legat. 1. L. 9. ff. de probat. L. 62. §. 1. ff. de hered. inst. L. 168. §. 1. ff. de R. 7. Rationes autem harum regularum in propatulo sunt. Nam utique censendum, loquentem id indicare voluisse, quod ab hominibus talis conditionis non est alienum,

idque voluisse agere, quod conditio personæ permittit. Deinde quod ad ultimam attinet, mutatio affectus non præsumenda: potius credendum, affectum hunc esse suum, dum cum persona vel circa rem egit, testari voluisse.

XVIII. Atque hæc fere regulæ sunt, quæ omnibus obscuritatis generibus adhiberi possunt. Si quæ aliæ a Doctoribus fortasse traduntur, ad harum unam possunt referri. Subjungendæ tamen sunt regulæ quædam speciales.

*Speciales* Et quidem quoad obscuritatem  
*Regula* a figura externa verborum, ore prolato-  
*quoad ge-* rum, proveniente, hæc notanda regu-  
*lus obscur.* la: Quoties sonus obscurus editus est, to-  
*a figura* ties multum tribuendum illis, quibus fre-  
*externa.* quens consuetudo cum loquente interce-  
 I. dit. Nam hisce optime notum esse potest, quid loquens hoc vel illo sono indicare voluerit. Deinde quoad verba scripta hæc notanda regula: Quotiescunque scriptura ob externam formam est obscura, toties adhibende sunt comparationes literarum: de quibus agunt Doct. ad L. 20. C. de fid. instrum. & præsertim Brunnemann. Mascard. de

Pro.



*Prob. Vol. 1. Concl. 330.* Quod remedium sæpius adhibetur etiam eo casu, ubi quis negat scriptionem sua manu esse exarata. Item sunt adhibendæ notarum, sigillorum, vel siglorum incognitorum evolutiones. Quorsum pertinent illæ notæ veterum Romanorum, & illarum evolutiones, quæ *Tyrone*, *Ciceronis* liberto partim, & partim *Senecæ* tribuuntur, quas edidit *Jan. Gruterus*. Huc etiam pertinent Autores illi, qui de *συναγραφή* vel *κεντρογραφία* scripserunt. Pari ratione consulendi sunt antiqui Codices & variæ lectiones, quas Critici colligere solent: atque si quis locus obscurus in Digestis occurrat, *Codex Pisanus*, sive *Florentinus Pandectarum* adeundus, quem ex Bibliotheca Flor. edidit *Franc. Taurellius*, atque ex eo *Charondas*. Quem Codicem nonnulli ad tempora Justiniani referunt, & ἀρχέτυπον esse tradunt. Quibus tamen contradicit *Anton. Augustinus Lib. 1. Emendat. c. 1.* existimans, post aliquot annos, quam Justinianus e vita migravit, privato ausu, librum istum esse scriptum. Maximum hu-

/  
 jus rei signum esse dicit, quod numerorum & verborum notis usi multis locis librarii sunt, quas notas Justinianus tribus Constitutionibus, *L. 1. 2. & 3. C. de vet. jur. enucleand.* prohibuit. Afferit etiam, menda frequentia in illo Codice esse, partim sublata, procul dubio ad alterius alicujus libri exemplum. Ex qua re patet, olim illum Codicem non ut singulare ali- quod Juris momentum habitum fuisse. Et licet hodie tale, cum alio vetustiore destituamur, habeatur, nec tamen illud infallibile esse, ex dictis apparet. Conf. *Taurellii Prefatio in has Pandectas*: ubi tamen *num. 6.* non a deo multa esse scripturae compendia in hoc Codice asserit, atque adeo non multum post tempora Justiniani illum esse scriptum opinatur. Caeterum huc pertinet studium, quod vocant Criticum; ac praesertim *Alciati, Antonii Augustini, Budae, Girardi, Mureti & C.* emendationes, castigationes & variae lectiones: quibus tamen Autoribus caute est utendum, atque sobrie; quandoquidem interdum nimium indulgent

gent ingenio, & officium Jcti, cujus est Leges interpretari, & non temere emendare, excedunt. Denique etiam huc referri debet opus nobilissimum *Joan. Mabillonii de Re Diplomatica*, quo præter cætera typi omnium fere seculorum post Christum natum exhibentur, quibus in scribendis Diplomatum homines usi, de quo libro *Acta Eruditorum Lipsiæ publicatorum ann. 1682. legi possunt pag. 129.* In universum judicium & stoicismus naturalis, nec non usus, & exercitatio hac parte utramque paginam facit.

XIX. Ad obscuritatis ex interno verborum sensu provenientis primum, secundum & tertium genus tollendum, specialis regula nulla dari potest, quam quæ §. V. jam adducta est, scil. *Lexicographos, & Antiquitatis scrutatores, illosque Autores, qui ejusmodi verbis uti solent, esse consulendos.*

XX. Quod ad quartum autem genus istius obscuritatis attinet, illud videlicet, quod ex ambiguitate ortum capit, de eo sequens regula notanda:

B 5

Ver-

*Quoad  
obscurita-  
tem inter-  
ni sensus.*

*Regula  
circa am-  
bigua.*

*Verba sunt accipienda in propria, & naturali significatione: quoniam tanquam antiquiori magis & communi loquentem vel scribentem se confirmasse, atque eandem vim voci tribuere voluisse censendum est. L. 69. pr. ff. de Legat. 3. L. 1. §. 20. ff. de exerc. act. L. 126. §. 2. ff. de V. O. Ubi quidem notandum, non semper ad grammaticam vocis originem esse respiciendum, sed ex usu & consuetudine loquendi vim esse æstimandam. d. L. 69. §. 1. de Legat. 3. L. 23. 37. & 38. ff. de LL. L. 31. §. 20. ff. de Ædific. Edict. L. 7. §. 2. ff. de supell. legat. L. 8. ff. de aur. & arg. leg.*

*Ufus loquendi duplex.*

*Regula 1.*

**XXI.** Quia autem usus loquendi alius est *vulgaris*, alius *Juris* vel *alterius alicujus artis*; L. 49. ff. de V. S. L. 103. L. 158. & L. 162. §. 1. ff. eod. alius *communis*, alius autem *loquentis proprius*, L. 50. §. 3. ff. de Legat. 3. sciendum est, in *interpretatione Legis vel sententia, a Judice prolata, significationem juridicam vulgari, consuetudinem communem usui privato præferri.* Hujus rei ratio partim ex substrata materia, partim ex eo petenda, quod loquens vel scribens

bens tanquam persona publica, non tanquam privatus locutus. *L. 3. §. 1. ff. de negot. gest. L. 3. §. 1. ff. de lib. hom. exhib. L. 44. 201. §. 20. ff. de V. S.* Atque huc omnium pertinent illorum Auctorum operæ, qui de verborum significatione Juridica scripserunt. *Regula 2.* Deinde notandum: In quæstionibus facti usum & significationem vulgarem præferendum esse significationi juridicæ, quam scil. præsumptively ignoravit loquens, vel scribens. *L. 69. §. 1. de Legat. 3. L. 3. §. 5. ff. de supell. leg.* *Limitatur.* Nisi Juris peritus ille fuerit, qui locutus est, vel scripsit, vel saltem ex consilio Juris periti egit; tunc enim credibile est, illum animi sententiam verbis quoque juridicis, si in argumento scil. ad jus pertinente versatus, exprimere voluisse. Id quod etiam de aliis articulis dicendum. In iisdem quæstionibus facti usus specialis & loquendi proprius præferendus est communi. *L. 50. §. 1. ff. de Legat. 3. L. 35. §. 99. ff. eod. L. 9. §. 1. ff. de tritic. leg.*

**XXII.** Quibus denique hæ subjungendæ regulæ: *In sermone ambiguo in alia.* *Regula*  
*ter-*

*terpretatio pro proferente, sive loquente ac scribente facienda est, quando actus ex unius voluntate, autoritate & potestate pendet. Nam credibile est, illum id voluisse, quod sibi est utilius. L. 96. L. 172. ff. de R. J. L. 38. §. 1. ff. de V. O. L. 66. ff. de Judic. Atque hæc regula obtinet (1.) in Legibus interpretandis: L. ult. C. de LL. (2.) In privilegiis: L. 191. ff. de R. J. non obstante L. 3. ff. de Constit. Princip. ad quam responder Gotthofred. ad dict. L. 191. p. 751. (3.) In ambigua intentione sive actione & libello actoris. L. 12. ff. de reb. dub. L. 66. ff. de Judic. L. 172. ff. de R. J. (4.) In sententiis Judicum. L. 4. §. 1. ff. de appell. Alia exempla vide apud Gotthofred. ad dict. L. 96. ff. de R. J. Quando vero actus dependent ex duorum consensu, interpretatio ambigui sermonis contra illum facienda est, qui potuit dicere vel scribere apertius: sive venditor sit, L. 172. ff. de R. J. sive stipulator, L. 106. ff. de V. O. sive emptor, L. 34. pr. ff. de contrab. emt. sive promissor, L. 99. pr. & no. §. 1. ff. de V. O. Sibi videlicet imputare debet, quod apertius locutus non sit; imo quum imputa-*

putari illi possit, quod obscure locutus, atque ita loquendo quasi tendiculam alii ponere, æquum est, illud nulli alii nocere, quam illi, qui obscure vel ambigue locutus est. *L. 172. pr. ff. de R. J. ubi Gothofred. L. 39. ff. de pact. L. 21. 33. & 34. pr. ff. de contrab. empt. Quæ L. 34. de eo casu agit, ubi ab emptore pactum appositum: nam alias venditor olim legem venditionis scribere solebat. L. 26. ff. de reb. dub. L. 17. §. 3. ff. de servit. præd. urban. L. 38. §. 18. & L. 99. pr. ff. de V. O.* Etsi autem hæ duæ regulæ frequentius locum habent in illo obscuritatis genere, quod ex ambiguo sermonis genere ortum cepit, atque illuc etiam a Doctoribus referuntur: nullus tamen dubito, quin ad alia quoque obscuritatis genera applicari possint.

XXIII. Quoad quintum obscuritatis genus, ex perplexitate ortum, vix *Regula circa per-* specialis regula dari potest: atque *plexita-* adeo hæc obscuritas ex regulis antea *tem.* traditis tollenda, nisi plane ita cum ea comparatum, ut omnem respuat interpretationem. Sic perplexitas, quæ  
in

in casu *L. 13. ff. de lib. & postb.* habetur, tollitur ex regula *V. §. XVI.* & ex regula *IX. §. XVII.* dum scil. ne actus pereat & testamentum, ex affectione, quam testatus est disponens erga uxorem, filium, & filiam, decisio petitur. Deinde perplexitas in *L. 10. §. 1. ff. de reb. dub.* tolli potest ex regula *V. & VII. §. XVI.* & regula *IX. §. XVII.* Ne scil. actus pereat, præsumendum est, testatorem libertati favisse, cui etiam Jus favet. *L. 13. §. 1. ff. de reb. dub.* Simile exemplum, ex Jure Saxonico Electorali petitum, habet *Carpzov. Lib. IV. Respons. 7.* ubi perplexitas favore dotis tollitur, si mulier dotem petens concurrat cum hypothecariis, expressam & tacitam hypothecam antiquiorem habentibus. Ita quoque porro in casu *L. 36. ff. de Legat. 1.* perplexitas tolli potest ex regula *V. §. XVI.* & regula *VII. dict. §.* Quia enim ademptio dubia legati, potius credendum, utriusque legatario, quos conjunxit, testatorem legare, quam nihil agere voluisse. Quod ad perplexitatem illius casus attinet, quem ex *Gellio* allegavi  
su-



supra *Lib. 9. c. 15.* perplexitas indissolubilis multis videtur. Si enim dicas, ex sententia trium Judicum ad supplicium ultimum trahendum esse reum, responderi poterit: atqui quatuor, & sic plures ex numero Judicum sententiam non capitalem dixere. Si vero dixeris, sententiam non capitalem præferendam esse, aliud dubium oritur, cum duo censuerint exilio mulctandum, alii duo pecunia, quænam scilicet sententia ex his duabus locum habeat. Atque si mulctam tanquam levissimam elegeris, id efficies, ut duo & sic minima pars vincat tres, imo quinque. Sed quia tamen illorum sententiæ, qui capitali supplicio non esse afficiendum reum arbitrati sunt, toto cælo inter se differunt, existimo, illorum sententiam vincere, qui capitali supplicio reum afficiendum esse, opinati sunt. Et ita sentit quoque *Cujacius Lib. 12. Observ. 17.* Nec obest *L. 38. pr. ff. de re judicat.* quæ de eo casu agit, ubi vota ac suffragia paria sunt. Conf. *Plin. Lib. 8. Epist. 14. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. c. 5. §. 19. Casus L. 16. ff. de*

de *condit. instit. Juliano & Marciano* indissolubilis videtur, atque sic institutionem ob perplexitatem inutilem putant. Ita enim formulam istam intelligunt, quasi id voluerit testator, ut neuter ante alterum heres sit. Quia tamen & ita intelligi potest, ut neuter sine altero heres sit, ac si dixisset: *Titius & Sejus heredes sunt; si unus eorum heres non erit, nec alter heres esto*: facile perplexitas tolli potest. Vid. *D. Thomas. Jurispr. Div. Lib. II. c. 12. §. 182.* Denique perplexitatem, quæ in *L. 88. pr. ff. ad L. Falc.* habetur, tollit *Africanus* ibidem ex præsumpta affectione majori erga reliquos legatarios: quamvis re vera nulla perplexitas hic adsit, & argumentatio *Africani* in parte posteriori *dict. pr.* mere cavillatoria habenda. Nam si ponamus, illum, qui quadringenta habet, trecenta legasse, & deinde fundum, dignum centum aureis, Titio sub hac conditione legavisse: si Legi Falcidiæ in testamento suo locus non esset, vel quia nesciebat, quousque legando progredi liceret, vel quia incertus erat de summa for-

fortunarum, ac num in Falcidiam impingeret: cognitis facultatibus defuncti, quadringenta non excedere, statim apparet, fundum illum contra prohibitionem Legis Falcidiæ legatum esse, sic hanc Legem in testamento locum invenire, & exerere vim suam, atque hac ratione Titium fundum petere non posse. Scil. quæ Africanus habet in verbis: *Rursus, si, quia conditio deficiat &c.* mere sunt cavillatoria. Namque Falcidiæ jam non erit locus, quia in re nulla Lex nihil operabitur. Nam si legatum ipsum sublatum, non habebit Lex illa, quod abradat amplius, aut defalcat. Conf. *Cujac. Tractat. V. ad African. ad h. nostr. L. Tom. I. Oper. pag. 1395. Freher. in Decis. Ariopag. Decis. 2.*

XXIV. Quod denique obscuritas *Regule de contrarietate.* tem ex contrarietate ortam attinet, speciales regulæ vix dari possunt; ideoque generales adhibendæ erunt. Sic quando ad speciem pugnant *L. 2. §. 4. & 5. ff. de vulg. & pup. substit. ex regula §. XV. & regula VIII. §. XVI. concilia-*

ciliatio peti potest. Quoniam enim ex aliis locis constat, patrem filio & in eodem, & in alio per intervallum facto testamento pupillariter substituere posse, *L. 16. §. 1. ff. de vulg. & pupill. substit.*, atqui in actu continuo non nocere *ὕπερολογία*, §. 34. *I. de Legat. L. 24. C. de testam.* concludendum est, in utroque §. de diverso casu agi, 4to nempe de eo, quando pater per intervallum sibi & filio testamentum facit; 5to vero §. de eo casu, quando in continenti & uno contextu sibi & filio quis testatur. *Hillig. ad Donell. Lib. 6. c. 25. Lit. S.* Cæterum interpretationem restrictivam, regulasque illuc pertinentes hanc obscuritatem etiam tollere posse, jam supra monitum, & infra latius patebit.

*Monitum.* XXV. Antequam autem hinc abeamus, illud superest monendum, interpretationem hancce explicativam plane cessare, si verba Legis manifesta sint, ita, ut de iis non possit dubium moveri, nisi fortasse doctrinæ tantum causa, & in gratiam imperitorum  
id

id fiat; quorsum fortasse pertinet *L. 1. §. 11. ff. de ventr. inspiciend.* atque adeo non recedendum esse ab illa voluntate, licet non adeo constet de ratione Legislatoris, & valde durum videatur, quod constitutum est. *L. 20. ff. de LL. L. 12. §. 1. ff. qui & a quib. liberi non fiunt &c.* Quod si tamen Lex ab omni æquitate abhorreat, vel manifeste iniqua videatur, vel etiam ita obscura, ut nulla ratione sensus indagari possit, interpretatio a Legislatore est petenda, *L. fin. §. 1. C. de LL.* de qua re infra agendum Cap. VI. Pari modo si mens aliorum disponentium manifesta sit, ex verbis, in ea re acquiescendum erit: si autem nulla ratione mens indagari possit, ab auctoribus sermonis, si fieri queat, interpretatio petenda, quæ ab illis, a quorum potestate actus pendet, utique fieri potest.

CAPUT III.

DE

Interpretatione Ex-  
tensiva.

I.

*Quid sit?*

**A**ccedendum jam est ad *interpre-*  
*tationem extensivam*, qua verba  
*angustiora extenduntur ad casus non ex-*  
*pressos, mente tamen scribentis vel lo-*  
*quentis comprehensos.*

*Necessitas.*

II. *Necessaria ideo est, quia sæpe*  
*verba mentem nostram ex parte fal-*  
*tem referunt, & minus loquimur,*  
*quam sentimus: sæpe etiam non o-*  
*mnia nobis occurrunt, de quibus ta-*  
*men eandem sententiam concipimus,*  
*vel interrogati idem sentiremus, quod*  
*de illis statuimus, quæ verbis a nobis*  
*expressa sunt. Nihil ergo aliud in-*  
*terpretatio hæc effert, quam quod*  
*cum mente ipsius loquentis vel scri-*  
*bentis convenit.*

*Notantur*  
*Doctores.*

III. *Multi Doctores extensionem*  
*fieri dicunt vel secundum verba, vel se-*  
*cundum mentem, sive sententiam. Illam*  
*di-*



dicunt, quando casus, ad quos fit extensio, sub verbis Legis jam comprehensus, & sic in ipsis verbis latet, quod exempli causa fit, quando genus ad omnes species trahitur, ut supra dictum *Cap. II. §. 5.* Sic si fortasse prohibitio frumenti exportationis in genere fit facta, illa ad omnes frumenti species pertinet, nisi constet, in quibusdam saltem speciebus caritatem annonæ timuisse Legislatorem, vel aliunde restrictio appareat. Quorum pertinent exempla a *Franzko* relata ad *tit. ff. de LL. num. 36.* Sed si dicendum, quod res est, exempla hæc, atque tota illa extensio secundum verba ad interpretationem declarativam potius pertinent; quandoquidem illis casibus disponens id, quod voluit, verbis expressit. Ad hanc itaque præsentem nostram speciem extensivæ scil. interpretationis illa tantum pertinet extensio, quæ dicitur secundum mentem, quando scil. casus penitus sub verbis non comprehenduntur, sed plane omitti, nihilominus tamen ex conjecturis colligitur, idem etiam

de his omiffis fenfiffe difponentem, ac de illis, quæ verbis expreffit.

*Quando  
habet lo-  
cum?*

IV. Plus autem fenfiffe, quam fcrip-  
piffie, vel locutum effe aliquem, col-  
ligi poteft vel *ex Lege ipfa*, aut *alia  
difpofitione*, aut *mentis declaratione*, vel  
faltem *aliis ejusdem partibus*, quando  
difponens fpeciei unius exemplo uti-  
tur; definitione tamen alioquin gene-  
rali, five præcedente, five fubfequen-  
te. *L. 9. §. 5. verf. Et licet. ff. de jur. &  
fact. ignor. L. 24. ff. de LL. L. fin. ff. de  
reb. cred.* Unde vulgata regula nata:  
exempla non reftingere Legem, fed  
tantum declarare. *Barbof. Thefaur. fub  
voce Exemplum. Habn. ad Wef. tit. de  
LL. num. 8.* Atque hæc maxime lo-  
cum habent in Refcriptis Imperato-  
rum in Codice, quæ plerumque ad  
propositionem certæ fpeciei, vel fin-  
gularis cafus edita funt. Negandum  
tamen non eft, non adeo magna arte  
interpretis opus effe, fi difponens jam  
in alio loco vel parte voluntatem ge-  
neralem expreffit.

*Difficul-  
tas.*

V. Majori vero artificio opus, fi  
illa generalis difpofitio deficiat, & ex  
ra-



*ratione* Legislatoris indagandum, quæ mens sit disponentis, & quousque illa se extendat, præsertim si ratio in Lege ipsa, vel alia dispositione non sit expressa. Quæ in re & majori opera est opus, cum in interpretatione hac *extensiva ratio* utramque paginam faciat.

VI. Quidam autem ratio hoc loco nobis sit, jam supra expositum est *Ratio LL. quid?*  
*Cap. II. §. 14.* dictumque simul, quod duplex illa ratio habenda, qua de re latius agit *Franzk. ad tit. ff. de LL. n. 19.*  
 Hoc loco notandum, extensionem *Est vel eadem, vel* fieri vel propter *identitatem*, vel propter *similitudinem rationis intrinsecæ, similis.*  
 quæ hoc loco in sensu excellentiori *ratio* nobis dicitur. Quoad *identitatem* sequens regula observanda: *Quotiescunque in casu omisso eadem plane militat ratio, quæ in expresso, toties dispositio ad casum non expressum est trabenda;* vel: *Quotiescunque ratio est generalior verbis, toties ad alios casus, quibus eadem ratio applicari potest, extensio fieri debet.* *Regule de identitate rationis.* Vel brevius: *Ubi eadem ratio, ibi eadem est dispositio. L. 32. pr. ff.*

*ad L. Aquil. L. 47. ff. sol. matrim. L. 4. ff. de fund. dot. pr. I. de legit. patron. tut. ubi exempla habentur. Alia legi possunt apud Grot. de J. B. & P. Lib. 2. c. 16. §. 20. & apud Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 5. c. 12. §. 17. Fundamentum autem harum regularum partim supra Cap. II. §. 14. indicatum est, partim etiam in eo positum, quod alioquin, si casum non subintellexisset disponens vel paciscens, qui sub ratione comprehenditur, dispositio vel promissio foret iniqua, vel inutilis.*

*Declara-  
tio.*

VII. Hinc patet, omnia, quæ dicta sunt, intelligenda esse de *ratione adequata*, h. e. *intrinseca sola* per se sufficienter movente Legislatorem, vel alium disponentem, vel paciscentes; atque universali. Alias enim, si unum horum deficiat, dici non potest, quod casus omissi necessariam habeant connexionem cum dispositione, atque sub eadem comprehendantur. *Franzk. Tit. de LL. n. 44.*

VIII. Quoniam tamen sæpe plures concurrunt rationes, videndum est, atque examinandum, numne singulæ

gulæ æque efficaces sint, vel moverint disponentem, vel paciscentes ad hanc vel istam dispositionem, vel pactum; vel num alia major, & sic principalis sit, vel denique, an omnes conjunctim saltem moverint. *Priori casus I.*

in extensio locum habebit, si modo una ex illis rationibus adsit, atque applicari possit ad casum non expressum, cujus rei exemplum ex §. 6. & 7. I. de nupt. peti solet. *Franzk. d. l. n. 45.* *Secundo casu* extensio fieri potest, modo principalis ratio ad casum non expressum quadret. Exemplum est in tutela agnatorum & patronorum, quarum illam Lex detulit proximis agnatis ob spem successionis, atque, ut videri poterat, conjunctionem sanguinis, & familiæ. Licet itaque ultima hæc ratio, quæ principalis non est, nec adeo in Legibus urgetur, haud possit applicari ad patronos; nihilominus tamen ad hoc quoque interpretatione extensio facta, quoniam principalis ratio, spes nempe successionis, in eos cadit. *pr. I. de legit. patron. tut.* Alia exempla ex *pr. I. de milit. testam.*

*testam. L. un. ff. de bon. possess. ex testam. milit. L. 9. §. fin. ff. de jur. & fact. ignor. junct. L. 44. ff. de test. mil. peti possunt.*

VII. Tercio casu, si extensio fieri debet, necesse est, ut omnes rationes simul adfint, & concurrant. Exemplum elegans adducitur ex *pr. I. de excus. tut. vel curat.* Scil. notum, Legem immunitatem concedere a tutela ob certum numerum liberorum: cujus immunitatis ratio partim est posita in cura, quam quis debet intendere propriis liberis, partim in studio *πολυ παιδείας*, & quidem legitimæ, siye augendi civitatem legitima sobole. *L. 15. §. 2. ff. de adopt.* Atque hinc licet prima ratio in illos cadat, qui adoptivos & naturales liberos tantum habent: quoniam tamen secunda ratio non æque illis potest applicari, ideoque nec ad hosce privilegium hoc pertinet. Deinde licet in illos, quorum liberi mortui, ratio postrema cadat: qui tamen prior in illis cessat, neque ad eos extensio fieri potest. Sed de hac re dicendum erit infra, ubi de restrictiva interpretatione agendum.

IX.

IX. Quoniam tamen rationes non *Monitum.*  
semper exprimuntur, nec de illis semper aperte constat, ideo in Legibus, & pactis publicis explicandis opus est ea prudentia politica, quæ consultatoria, sive βουλευτική dicitur, nec non cognitione historica. In rebus autem privatis prudentia œconomica, & cognitione earum rerum opus est, de quibus sermo vel scriptum, quem, quodve interpretari debemus, agit. Quando autem ratio nullo modo explicari potest, frustra in extensione ex identitate rationis quis occupatur.

X. Sed hæc extensio locum habet *Ampliatio.*  
tam in *dispositionibus affirmativis*, ut exemplo patronorum, tutelæ patet, quam in *dispositionibus negativis*, cujus exemplum est in *L. 7. §. 3. ff. de SCt. Maced. L. 5. §. 5. ff. de donat. int. vir. & ux.* in quibus insignem affert usum ad refrenandas fraudes, & diluendas cavillationes, quibus homines in eludendis Legibus uti solent. *L. 29. L. 30. ff. de LL.* Vid. *Pufendorf. de J. N. & G. L. V. c. 12. §. 18.*

Habet lo- XI. Ex dictis fluit, etiam in pœ-  
cum in Le- nalibus locum habere hanc extenfi-  
gibus pœ- vam interpretationem; quod ratio-  
nalibus. nibus idoneis latius confirmat *Franzk.*  
*d. l. num. 47.* Exempla sunt in *L. 2. §.*  
*Quodsi curatores. 29. ff. ad SCt. Tertull.*  
*L. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majest. L. 32. pr.*  
*vers. Sed magis. ff. ad L. Aquil.* Atque  
sic Lex Divina *Genes. 9.* de eo occiden-  
do, qui sangvinem humanum effudit,  
ad illos quoque extendenda est, qui  
alio modo, quam effusione sangvinis  
humani homicidium committunt.  
Non est tamen negandum, esse ex-  
tensionem in pœnalibus ita tempe-  
randam, ut ne illa utamur, si decisio  
nimis crudelis, & aspera eveniat, &  
pœna, quam extendere volumus, ni-  
mis sit dura. *Alciat. Lib. 2. de Signific.*  
*Verb. num. 53.* Exemplum peti potest  
ex *L. 5. C. ad L. Jul. Majest.* Adducit et-  
iam *Franzk.* exemplum ex *L. 20. ff. de*  
*L. Jul. de adult.* Sed illud ego magis  
ad Legem exorbitantem, quam pœ-  
nalem referre velim.

Correcto-  
riis.

XII. Quod de Lege pœnali dictum,  
etiam pertinet ad Leges correctorias.  
*Franzk.*

*Franzk. d. l. num. 53.* Exempla ex *Nov. 15. & Nov. 118.* passim adducuntur. Idem sentiendum de Legibus *limitato-* *Limitato-*  
*toriis*, quæ Legem veterem non in *riis.*  
totum abrogant, sed tantummodo limitant, & restringunt. *Franzk. d. l. n. 7.*  
Exempla ex *L. 2. C. de curat. furios. L. 11. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt.* aliisque locis peti possunt. Nihil autem interest, siue ratio expressa sit in Lege pœnali, correctoria, & limitatoria, siue non: modo alias de illa satis constet.

XIII. Omnia autem hæc multo *Majoritas*  
magis locum habent tunc, quando *rationis.*  
*majoritas*, ut loquuntur, *rationis*, siue *major ratio* in casu non expresso, quam expresso adest. *Alciat. de Verb. Signif. Lib. 2. num. 47.* Exemplum peti solet ex *L. 22. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult. junct. L. 38. §. 8. ff. eod.* Plura exempla habet *Alciat. d. l.*

XIV. Cessant tamen istæ regulæ *Cessat in*  
in jure *singulari*, atque *exorbitanti*, jure *singulari* &  
quod jus quid sit, docet *Ziegl. de Jur. singulari* &  
*Maj. Lib. 1. c. 12. th. 3. & 4.* itemque in *exorbi-*  
*personalibus constitutionibus*, quas *privile-*  
*vile-*

*vilegia* vocamus. Hæc enim, quæ contra rationem Juris sunt constituta, ad consequentias non sunt trahenda. *L. 15. § seqq. de LL. L. 141. pr. ff. de R. J.* Atque hinc, quæ de restitutionibus minorum, de intercessionibus mulierum Leges latæ sunt, ad rusticos, senes, aliasque personas æque imperitas, ac lubricas extendi non possunt. *Franzk. d. l. num. 58.* Sic etiam constitutiones personales in præjudicium tertii contra salutem publicam, vel contra Jus commune non sunt extendendæ ob identitatem rationis. *L. 2. C. de LL.* Atque licet contra Principem, si meram liberalitatem & purum beneficium contineant, latissime explicandæ, non tamen id contra mentem Principis fieri debet. *Dd. ad L. 3. ff. de Constit. Princip. § ad L. 191. ff. de R. J. Conf. dicta supra Cap. II. §. 22. §. Ziegl. de Jur. Maj. Lib. 1. c. 12. §. 6.*

*Similitudo  
rationis.*

XV. Probe tamen observandum est, non esse confundendam *identitatem* cum *similitudine* rationis, quæ duo Doctores plerumque confundunt, cum tamen maxime inter se differant.

De



De illa hæcenus dictum; de hac nunc agendum. *Quoties itaque in casu omissio non eadem plane, sed saltem similis adest ratio, specie licet ab altera, qua Legislatores movit, differens, toties extensio a casu expresso ad casum non expressum fieri potest. Vel brevius: Ubi similis ratio, ibi etiam simile jus debet obtinere.* L. 10. 11. & 12. ff. de LL. Et si enim nulla potest tanta dari similitudo, in qua non aliquid diffimile, atque sic ob unum tertium comparationis ad vim obligationis non statim argumentandum est: quoniam tamen omnes casus Legibus comprehendi non possunt, Judicis arbitrio & Prudentum opinionibus relictum est, ut cætera, quæ ad eandem utilitatem tendunt, vel jurisdictione, vel interpretatione, judicando vel respondendo suppleant, & sic, dum de sententia Legis constat, ad similia procedendo jus dicant, vel de jure respondeant. L. 12. & 13. ff. de LL. Exemplum elegans est in *pr. I. de legit. patron. & parent. tut.* Aliud ex L. 11. ff. ad L. Aquil. L. 1. §. 4. ff. de arb. cædend. peti potest. Vid. omnino *Franzk. ad tit. de LL. n. 64.*

XVI.

*Exem-  
plum du-  
bium.*

XVI. Refert huc etiam *Franzk.* ca-  
sum *L. 29. §. 5. ff. de lib. & postb.* Sed pe-  
nitius argumentum illud consideran-  
ti non obscurum est ab *identitate*  
potius, quam *similitudine* ibidem fieri  
extensionem, licet vocabulo similitu-  
dinis *Scavola* ibidem utatur. Omni-  
bus enim casibus, qui ibidem refe-  
runtur, eadem ratio convenit, quod  
scil. nepos vel pronepos suus heres  
post mortem avi nascatur, sublata  
illa persona, vel saltem vinculo, ob  
quam, vel quod in potestate alterius  
sit recasurus. Vid. *Vinn. ad §. 2. l. de ex-  
her. lib. num. 5.* Potius huc pertinent  
illa argumenta, quæ fiunt ab aliment-  
tis ad dotem, ad piam causam, & vi-  
ce versa, quæ cum aliis similibus apud  
*Eberhardum in Locis Topicis* legi pos-  
sunt.

*Quando  
hæc exten-  
sio habet  
locum?*

XVII. Scil. hæc extensio maxime  
locum habet in *favorabilibus*: atque illuc  
pertinet maximopere tritissima Docto-  
rum regula: *Favorabilia esse extenden-  
da; odiosa vero restringenda*: qua et-  
iam, vel simili in interpretatione de-  
clarativa sæpe utuntur; *favorabilia  
esse*

esse latius, odiosa vero esse strictius explicanda; *L. 19. ff. de lib. & posth. aliisque textibus*, quos passim allegant, Suas quoque faciunt has regulas illi, qui Jus universale docent, præsertim *Grotius de J. B. & P. Lib. 2. c. 10. §. 10. & Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 5. c. 12. §. 12.* Exponit etiam *Grotius*, quænam *favorabilia*, quænam *odiosa*, quænam *mixti generis* sint dicenda. Sed multis dubiis hæc esse obnoxia, atque cum omnibus rebus humanis sic comparatum esse, ut nihil fere reperiri possit, quod ex omni parte favorabile vel odiosum appellari possit, certum est. Carere etiam his regulis, & doctrina hac extra respectum Juris Civilis nos posse, docet *On. Thomasius in Jurispr. Divin. Lib. 2. c. 12. §. 164.* nec non in *Append. Lib. 2.* In quantum etiam nostri Jcti se torqueant, quando de favorabilibus, & odiosis agunt, ex illis disci potest, quæ habet *Tiraquell. in Prefat. de Retract. Consang. num. 64.* Quod si tamen *Jus positivum Civile*, vel *Canonicum*, vel aliud res quasdam pro favorabilibus habet, e. gr. *ultimas vo-*  

D lum-

*luntates, dotem, libertatem, piam cau-*  
*sam &c.* quasdam vero pro odiosis,  
 e. gr. *commissa, pœnas, servitutes &c.*  
 in illis etiam extensionem permittit,  
 jubetque; in hiſce vero vetat, ac re-  
 ſtriſtionem injungit: nullum dubium,  
 quin hiſce regulis uti poſſimus, atque  
 debeamus. Et illa ipſa, quæ de ex-  
 tendendis rebus favorabilibus agit, ad  
 hanc extensionem ob ſimilitudinem  
 rationis pertinet. Quodſi enim in re  
 favorabili *identitas* adſit rationis, non  
 opus eſt hac regula. Cæterum in  
*odiosis, ac pœnalibus* non invenire lo-  
 cum extensionem ob ſimilitudinem  
 rationis, ex dictis apparet. *L. 42. ff. de*  
*pœnis. L. 155. §. ſin. ff. de R. J. L. 32. in ſin.*  
*ff. de pœn. Cap. 28. §. 49. de R. J. in 6.*  
 Nec etiam pertinet extenſio hæcce ad  
*correctorias Leges*, atque multo minus  
 ad illas, in quibus nec extenſio ob  
*identitatem* rationis officium facit.  
*Franzk. d. I. num. 55. §. 66.*

XVIII. Aliunde quam ex ipſa *Lege*,  
 vel *alia diſpoſitione*, aut ejusdem ratio-  
 ne plus ſenſiſſe diſponentem, colligitur  
 (3.) vel ex *contrariis*, vel (4.) ex  
 ante-

*antecedenti, & consequenti.* Ex *contra-* Extensio a  
*riis,* dum nempe in re *contraria con-* contrario.  
*trarium* etiam quis velle intelligitur.  
 Atque huc pertinet regula, tum Lo-  
 gicis, tum Jctis familiaris: *Contra-*  
*riorum contraria est ratio, & contrarius*  
*effectus.* Nam licet alias etiam *con-*  
*trariorum eadem ratio esse dicatur;* id  
 tamen intelligendum tantum est *ra-*  
*tione cognitionis,* quod nempe cognito  
 uno ex contrariis etiam alterum co-  
 gnoscatur, vel etiam ratione ejusdem  
 dispositionis legalis, ut si Lex de uno  
 loquatur, etiam intelligatur de altero,  
 quale exemplum est in §. 3. *I. de Societat.*  
 non autem quoad effectum & conse-  
 quentiam. Deinde huc spectat ista  
 regula: *Quicquid operatur propositum*  
*in proposito, id operatur oppositum in op-*  
*posito.* Item: *Cum Lex in prateritum*  
*aliquid indulget, sive ignoscit, in futu-*  
*rum vetat, sive in statu prohibitorio re-*  
*linquit.* L. 12. pr. ff. de judic. L. 22. ff. de  
 LL. L. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. est ju-  
 risd. L. 2. C. de general. abolit. L. fin. ff.  
 de edend. L. 8. ff. de accusat. L. ult. ff. de  
 legat. 3. De qua argumentatione, quæ  
 D 2 for-

fortissima dicitur, a contrario sensu petita, atque illarum regularum ampliationibus, & limitationibus legi potest *Everhard. Loc. Top. 82, & Barbof. The- Limitatio: saur. Lib. 3. c. 87.* Præsertim autem notandum, istam argumentationem non esse admittendam, si conclusionis inde resultantis contrarium est in Jure, vel a disponente alibi expressam, atque ex illa illatione sequeretur correctio Legis, vel anterioris dispositionis. *Everhard. dict. loc. num. 8.* vel si inde resultaret sensus absurdus. *Everh. d. 1. num. 7.* Exemplum est in *L. 2. C. de condit. insert. ubi Gothofr.*

*Ab antecedenti & consequenti.* XIX. Tandem ex antecedenti & consequenti colligi etiam potest, plus sensisse, quam dixisse disponentem: quorsum pertinent regulæ: *Consequens qui vult, vult etiam necessarium antecedens. L. 56. & L. 62. ff. de procur.* Ratio, quia inter hæc duo tam arcta connexio est, ut non possint divelli, nec finis obtineri illius, qui consequens voluit, nisi & voluerit antecedens. Aliud exemplum est in *§. 1. l. qui testam. tut. dar. poss. & pr. 1. de hered. instit.*

*insti.* Similis regula est: *Concessio uno, etiam concessum illud videtur, sine quo id, quod concessum est, non potest expediri, vel obtineri.* L. 2. ff. de *jurisd.* L. *fin.* §. 1. ff. de *Offic. ejus, cui mand. est jurisd.* Item: *Antecedenti concessio, etiam necessarium consequens simul concessum esse existimandum.* L. 1. §. 1. ff. si *ususfr. pet.* L. 3. §. *Qui habet. ult. ff. de servit. pred. rustic.* Barbof. *Lib. 1. c. 66. axiom. 3.* Consequentem prohibito, censetur omne prohibitum, per quod ad illud pervenitur. L. 7. §. 1. ff. qui *et a quib. man. lib. non fiunt.* L. 5. in *pr. ff. de donat. int. vir. et ux.* L. 7. §. 3. ff. *ad SCr. Maced.*

CAP. IV.

DE

Interpretatione Restrictiva.

**S**UPEREST interpretatio restrictiva, qua Interpretatione Restrictiva. *verba loquentis vel scribentis generalia restringuntur, sive quae docet, non omnia, quae sub verbis comprehenduntur, pertinere ad mentem loquentis.*

D 3

II. Ne-

*Necessitas  
ejus.*

II. *Necessaria est*, quoniam verba latiora sæpe sunt, quam mens, aut plus loquimur interdum, quam sentimus: de qua re si ex conjecturis constat, mens potius, quam verba, signa mentis, inspicienda.

*Unde petatur?*

III. Minus autem aliquem sensisse, quam scripsit vel locutus est, æstimari potest (1.) ex *Lege*, vel *alia quavis dispositione*, aut *animi declaratione ipsa*, vel saltem aliis ejusdem partibus, cum non credibile sit, contraria quem voluisse. Exempla, ubi ex verbis præcedentibus sequentia restringenda, peti possunt ex *L. fin. ff. de hered. inst. l. 34. §. 1. ff. de V. O.* Exempla autem, ubi ex sequentibus præcedentia restringuntur, peti possunt ex *L. 2. l. 7. §. 1. ff. de supell. legat. l. 20. ff. de reb. credit. Franzk. ad tit. de LL. num. 71. Conf. dicta Cap. preced. §. 4.*

*Ex Ratione.*

IV. Maxime tamen & hoc loco (2.) respiciendum est ad *rationem*, quæ movit Legislatorem, vel alium disponentem, vel paciscentes. Atque inde regulæ, passim traditæ, notandæ sunt: *Quoties verba generaliora sunt*.

*ratio*



ratione, toties sunt restringenda; vel: Cessante ratione, cessat dispositio. Quorum regularum fundamentum in illis positum est, quæ jam supra Cap. II. §. 14. dicta. Sicut enim credibile est, quemlibet id actum voluisse, quod scopo, quem intendit, conveniens est, ita præsumi non potest, id agere illum voluisse, quod a fine illo proposito est alienum.

V. Oppido autem notandum est, Scilicet ad intelligendam esse hanc regulam (1.) *æquata*. de ratione *adaquata*, & *intrinseca*: cuius rei exemplum est in *L. 6. pr. ff. de jur. patron.* E contrariò non valet regula de causa *extrinseca*, sive *occasionalis*. Exemplum potest peti ex *L. 1. §. 5. ibi: & ratio item: origo vero. ff. de postul.* (2.) Regula intelligenda est de ratione *Cessante*, quæ *cessat in communi*, h. e. in casibus sæpe evenientibus; non de ratione cessante in particulari quodam subjecto, vel casu. Sic cum adolescentes curatores habentes, nihil sine horum consensu agere possint, hoc jus non cessat in illis, qui bene rem suam gerunt. Vid. *L. 3. cum LL. seqq. ff. de LL.*

FINIS

D 4

L. 1.

*L. 1. §. 3. ff. de minor. L. 3. ff. eod.* Aliud exemplum ex *§. 1. I. quib. non est perm. fac. testam.* peti potest ratione impuberis: nam licet fortasse impubes reperiatur, qui iudicio polleat, tamen testamentum condere non potest.

*Quid si*

*plures rationes concurrant?*

VI. Quoniam autem sæpius plures rationes movent loquentem vel scribentem, de quo supra dictum *Cap. preced. §. 8.* tribus ejus rei casibus constitutis, ideoque etiam distincte hic procedendum est. Scilicet *priori casu*, quando nempe singulæ rationes æque efficaces sunt, & efficaciter moverunt ad hanc vel istam dispositionem, vel pactum, cessante una, non statim cessat dispositio. Exemplum ex *§. 6. I. de nupt.* peti potest. *Secundo casu*, quando una ratio *principalis* est, altera, vel reliquæ *minus principales*, regula habet locum, si modo principalis cesset. Sic e. gr. malæ fidei possessor, licet agrum colat & curæt, tamen fructus non facit suos, quoniam bona fides deest, quæ alias tantumdem præstat, quantum rei veritas, ex qua bona fide dominium etiam

etiam aliquod fictum oritur. §. 35. I. de R. D. L. 136. ff. de R. J. Idem dicendum de bonæ fidei possessore ex eo tempore, quo cognovit, rem alienam esse. L. 23. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Vice versa non habet locum regula, si causa tantum *minus principalis* cesset. Sic bonæ fidei possessor fructus naturales suos facit, licet nullam, vel non adeo magnam adhibeat curam & culturam. L. 48. ff. de acquir. rer. dom. §. 35. I. de R. D. Tertio casu, si nempe plures rationes adsunt, quæ omnes simul moverunt disponentem, una cessante, cessat etiam dispositio. Exempla ex illis peti possunt, quæ dicta sunt §. 8. Cap. *præced.* Plura hæc de re possunt legi apud *Tiraquell. in Tractat. Cessante Causa.* qui Tractatus extat in *Tom. 4. P. 1. Limit. 22. num. 12.*

VII. Posthæc illud quoque notandum, regulam hanc tunc locum invenire, si ratio *actu, & potentia* cesset. Nam si actu tantum cessat, non autem potentia, nihilominus dispositio locum habebit. Sic si Lex sit, ne quis noctu cum facibus per plateas ambulet,

let, vel ne quis cum telo, vel quocunque modo armatus in publicum progrediatur, non excusatur, qui dicit, se ita circumspicere agere, ut nullum damnum inde metuendum sit. Alia exempla habet *Dn. Thomas. in Jurispr. Div. Lib. 2. c. 12. n. 158.*

*Limitatur.*

VIII. Deinde regulam etiam limitant Doctores illis in casibus, quando Lex aliquid utilitatis publicæ causa pro forma introduxit, ubi cessante ratione, non cessat dispositio. *L. 5. §. 14. L. 13. pr. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt, non alien. Franzk. ad ff. vit. de LL. num. 87.* Plures limitationes, quarum tamen pleræque ad ante dictas redeunt, apud *Tiraquell.* possunt legi in *dict. Tract.* Illud vero exemplum de bonis minorum, de quo supra dictum, ad istam quoque limitationem referunt quidem, quæ *§. 5. num. 2.* est allata.

*Restrictio ex substrata materia.*

IX. (3.) Ex *substrata materia* colligi quoque potest, plus aliquem locutum esse, quam sensisse: atque sic illa hic repetenda sunt, quæ *Cap. II. §. 12.* superaddita. Namque *substrata* tam

tam materiam animo loquentis semper obversari credibile est, licet verba latius patere videantur. Hinc e. gr. si Princeps alicui concesserit feudum cum jure venandi quocunque in loco, substrata materia indicat jus venandi tantummodo in feudo, non in aliis territorii partibus concessum esse, sicque verba illa: *quocunque in loco*, restrictive esse accipienda. Item si statutum devolvat successionem bonorum, ubicunque sint sita, subjecta materia ostendit, de bonis, in territorio statuentium sitis, id tantum intelligendum esse, cum in bona, extra territorium sita, non habuerit facultatem statuendi. Aliud exemplum habet *Dn. Thomaf. in Jurispr. Div. Lib. 2. c. 12. §. 107. Eberhard. Loc. Top. 93. Vid. L. 32. §. 7. ff. de usufr. legat.*

X. *Ex dictis vel scriptis* alio in loco *Ex dictis*  
 (4.) colligi etiam potest, plus scri- *vel scriptis*  
 ptum vel dictum esse, quam alii sen- *alio loco.*  
 tiunt, quæ collectio ex loco conjun-  
 ctorum origine petita est, ut supr. di-  
 ctum *Cap. II. §. 15.* Sic interdum Lex  
 posterior generalis limitatur ex Lege  
 spe-

speciali priori *L. 26. ff. de LL. Thomas. d. 1. §. 136.* Exemplum ex *Auth. Offeratur. C. de lit. contest.* peti potest, ubi necessitas satisfaciendi iudicio fitti ex *L. 15. pr. ff. qui satisd. cog.* recipit limitationem; nisi quis possideat bona immobilia. *Franzk. ad tit. ff. de LL. n. 82.* Atque hæc toties locum habent, quoties id, quod jam dictum est, cum illo, quod alibi dictum, non quidem directo pugnat, sed propter temporis, vel aliam circumstantiam utrumque hic & nunc simul observari nequit; tunc enim necesse erit, ut unum dictum restringatur, ne alias neutrum habeat effectum, quod absurdum foret. *Vid. Dn. Thomas. d. 1. §. 117.* ubi simul docet, quodnam ex duobus alteri cedere debeat.

*Ab effectu.* XI. Atque huic monito affine est, (5.) ab effectu restrictionem etiam colligi posse, dum nempe omne dictum vel scriptum ita explicandum est, ne effectus absurdus, vel iniquus, aut nullus inde eveniat. *Vid. dicta supr. Cap. II. §. 16.* Exempla peti possunt ex *L. 43. ff. de Relig. & sumpt. fun. L. 24. §. 4. ff. de*

de damn. infect. Gell. Lib. 5. c. 10. Conf. Dn. Thomaf. d. l. §. iii. Atque huc pertinet illa interpretatio, quam Doctores *κατ' ἐξοχήν* secundum æquitatem, vel ipsam æquitatem, aut *ἐπιτέμειναι* vocant, quando scil. dispositio vel conventio generalis restringitur ex Jure Divino, sive naturali, sive positivo. Quod si non fieret, magna absurditas & iniquitas inde sæpe oriretur. Vid. *Græq. de J. B. & P. Lib. 2. c. 16. §. 26. n. 2. Dn. Thomaf. d. l. §. 113.*

XII. A *qualitate personarum* (6.) A *qualitate vel a capacitate & idoneitate subjecti* *tate per-* regulae *Cap. II. §. 17.* desumptæ *infer-* *sonarum.* viunt quoque restrictivæ interpretationi. Exempla reperiuntur apud *Alciatum de Verb. Signif. Lib. 1. n. 49.*

XIII. Tandem Doctores (7.) huc referunt regulam, quod *odiosa sint restringenda:* de qua vid. *Barbos. locupletat. Lib. 13. c. 16. ax. 5.* Sed quid de ea sentiendum, jam supra dixi *Cap. præced. §. 17.*

XIV. Cessat autem omnis hæc interpretatio, si omnis deficiat *Quando cessat?* conjectura, aut directo, & manifeste pugnant-

gnantia adsint: frustra enim tunc interpretatio vel conciliatio adhibetur. Vid. *L. 188. pr. ff. de R. j. L. 14. C. de fid. instrum. L. 1. §. 6. ff. de tab. exhib. L. fin. ff. de bon. poss. sec. tab.* Quodsi vero sermo unus altero sit posterior; id, quod ultimo placuit, prævalet. Sic Lex posterior derogat Legi priori, *L. 28. ff. de LL.* Pactum inter duos posterius tollit eorundem pactum prius, *L. 27. §. 7. ff. de pact.* Testamentum prius rumpitur per testamentum posterius. *§. 2. I. quib. mod. test. infirm. L. 4. ff. de adim. legat.* Scilicet hoc omne ita capiendum est, si modo facultas mutandi adsit, nec alteri jam jus quæsitum. Atque sic pactum, quod mihi tecum intercedit, non tollit jus quæsitum Titio ex pacto, mecum antea inito. Sic priora sponsalia præferuntur posterioribus, modo cætera paria sint.

*Antino-  
mia.*

XV. Cæterum nullum piaculum est, tales contrarietates, & *antinomias* in Jure nostro Justiniano admittere: nam licet Justinianus in *Consl. Tantâ.*

§. 15.



§. 15. & Const. Dedit nobis Deus. §. 15. Const. Cordi, §. 3. nihil contrarium in hocce Jure esse asserat; atque hinc multi egregii Jcti quamcunque distinctiunculam, longius petitam, & ineptam saepe facilius, quam antinomiam, admittant: compertum tamen est, Justinianum cum Triboniano suo plus promississe, quam præstitisse, vel etiam præstare potuisse. Interim tamen non omnis apparens contradictio pro indissolubili antinomiam est habenda. Quod si tamen talis sit, ea sententia eligenda est, quæ cum analogia Juris maxime convenit.

XVI. Fugienda autem est studiose semper *ἰδία ἐπίλυσις*; qua quis non ad ejus voluntatem, quam suscipit interpretandam, suum intellectum accommodat, sed ad suum intellectum alterius voluntatem detorquet. *Rebhan. de Interpretat. Jur. obscuri, t. b. 43.*

Monitum.

CA-

CAPUT V.

DE

Summa regularum bonæ interpretationis.

I.

*Regule  
potiores  
herme-  
neutica.*

Quæ hactenus dicta sunt de regulis bonæ interpretationis, illa ferre omnia ad pauca sequentia capita tanquam ad summam redigi possunt.

II. (1.) Accurate cognoscenda est & consideranda persona, quam geritis, qui aliquid dicit vel scribit, quoad statum, affectum, & inclinationem.

III. (2.) Attendendum est studiose, de qua re autor dicere, vel scribere constituerit.

IV. (3.) Consideranda sunt antecedentia & consequentia. (4.) Spectandum id, quod alibi autor scripsit.

V. (5.) Consideranda circumstantia loci, & temporis, item personarum, ubi & quando scil. quis locutus est, vel scripsit, & ad quos vel intuitu quorum.

VI. (6.) Ea sequenda est interpre-

AD

pretatio, quæ cum causâ illa, ob quam Legem auctor tulit, vel quis cum alio pactus est, vel aliud quid fecit, concordat.

VII. Et denique (7.) illa interpretatio est arripienda, quæ sanæ rationi congruit, neque effectus vel plane nullus, vel absurdus sequatur. Legi meretur *Cap. 3. Prax. Logic. Dn. Thomasi.*

VIII. Non omnibus autem regulis *Cautio.* hisce simul, & semper locus est; sed ex una alterave interpretatio fieri potest. Quod si vero plures concurrant, atque diversos sensus & interpretationes suppeditent, illa eligenda, quæ maxime verifimilis, & sine absurditate admitti potest, vel efficit, ne nihil actum sit vel videatur. Sic in casu *L. 2. C. de condit. insert.* interpretatio fieri potest tum a contrario sensu, tum ab evitatione absurdi: quoniam autem ita diversi sensus resulant, ultima præ prima eligenda. Vid. *Brunnem. ad d. L. 2. & supra Cap. III. §. 18.*

IX. Caterum quando diximus, regulis istis interpretationem fieri posse,

mut

E

&

& quidem, quod jam addendum, in omni genere interpretationis, de quibus hactenus egimus: præsupponendum est, illum, qui interpretis munere defungi vult, non esse imperitum lingvæ, qua quis locutus est, vel scripsit, nec negotii, de quo actum, nec deesse etiam quandam ingenii vim, & promptitudinem.

X. Cæterum omnia hæc ad sensum literalem eruendum pertinent. Est tamen & interpretatio sensus mystici, qui dicitur *applicatio & accommodatio sensus unius literalis ad res alias significandas.* Sed cum hæc interpretatio magis ad Theologos, & Philosophos pertineat, Jcti autem vel plane non, vel rarissime, si fortasse quæstio sit de libellis famosis, vel scriptis satyricis, ea utantur, non est hujus loci, multa de ea dicere. Conferri interim potest *Dn. Thomaf. in Prax. Log. Cap. 3. lb. 140. seqq.* Obiter saltem id notandum, in scriptis satyricis explicandis opus esse notitia earum rerum, quæ in eo loco, ubi vivit autor, vel vivere creditur, gestæ; & personarum

rum, aliarumque circumstantiarum, ut intelligere possimus, quosnam & qua ratione autor carpere voluerit.

## CAP. VI.

DE

## Interpretatione Authentica.

**E**Gimus hactenus de interpretatione doctrinali, quæ ad prudentiam judicalem pertinet, & in indaganda aliena voluntate absolvitur, ut dictum *Cap. I. §. 2.* Attamen interpretationis vox interdum laxius accipitur, ita ut etiam *propria voluntatis expositionem* comprehendat, quæ *expositio authentica* dicitur, & partim ad architectonicam prudentiam, partim ad deliberatoriam, partim etiam privatam pertinet.

II. Non itaque etiam deerit operæ pretium, si de authentica interpretatione pauca quædam addantur. Est autem authentica interpretatio, qua

E 2

loquen-

loquentium vel scribentium voluntas ab ipsis clarius exprimitur, & in dictum vel scriptum obscurum sententia animi infertur. Obscurum autem dictum id vocamus, ubi vel omnino mens intelligi nequit, vel valde dubia est, ita ut lites & dissensiones maxime inde oriuntur.

*Optima est.* III. Hæc interpretatio omnium optima est, quandoquidem autores sermonis optime sciunt, quid voluerint, & sic optimi verborum suorum sunt interpretes. Atque hanc ob causam infallibilem vocant illam Doctores.

*Expressa est, vel tacita.* IV. Est autem hæc authentica vel expressa, vel tacita; illa, quando expressis verbis sensus infertur; hæc, quando usu & consuetudine id fit: illa authentica in specie, hæc usualis dicitur.

*Cui competat?* V. Hac authentica interpretatione utuntur Superiores intuitu Legum, ab ipsis, vel Antecessoribus latarum. Hinc regula vulgata nata est: *Ejus est Leges interpretari, cuius est Leges condere.* L. 9. L. 12. §. 1. C. de LL. Const. TARRA.

§. 21. de *Confirm. Digest.* In Romano-Germanico Imperio hodierno interpretatio hæc Legum universalium Imperatori & Statibus simul hodie competit. §. *Gaudeant. Art. VIII. Instrum. Pac.* Ipsi autem Status & Ordines Imperii in territoriis suis potestate nomothetica, & sic etiam facultate interpretandi Leges provinciales, vel in provinciis suis recepras, authentice gaudent. *Ludolph. Hugo de Statu Region. in Germ. Cap. III. §. 8. Jur. Publ. Prud. nostr. Cap. LX. §. 7.* Exemplum hujus interpretationis præbent quinquaginta illæ Decisiones, Codici Repetitæ Prælectionis insertæ, Const. Cordi. de Emendat. Cod. nec non Electorales Saxonicae Decisiones novissimæ. Passim etiam in Novissimo Recessu Imperii tales Decisiones habentur. Non tamen negandum est, Legislatores etiam doctrinali interpretatione defungi & posse, & solere, & vel Antecessorum, vel suas Leges juxta regulas illas bonæ interpretationis ex *ἐπιπέσει* interpretari. *Ziegl. de Jur. Maj. Lib. I. cap. 8. §. 6.* Quale exemplum extat in

*Ord. Feud. Sax. March. Lus. Sup. 1652. edita,*  
 §. Ob nun zwar.

*Interdum  
 ea Judex  
 utitur.*

VI. Authentica hac interpretatio-  
 ne etiam interdum Judex utitur; quod  
 & tunc fieri potest, licet maxime sen-  
 tentia vel decretum vires rei judica-  
 tæ acceperint, si obscuritas quædam in  
 iis deprehendatur. *L. 4. §. 1. ff. de Appellat.*  
 Qualis declarationis petitio quomodo  
 differat a leutatione, docet *Dn.*  
*Svendend. c. 2. P. I. Proc. Fibig. pag. 810.*  
*Edit. noviss.* Quæ declaratio quando  
 secuta est, remedia suspensiva adver-  
 sus illam quoque admittuntur. *L. fin.*  
*C. de sententi. quæ sine cert. quant. Med.*  
*P. I. Decis. 109. Svendend. d. l.*

*Quando  
 interpre-  
 ratio dica-  
 tur au-  
 thentica,  
 quando  
 usualis?*

VII. Quando itaque Superior ex-  
 presse interpretatur Legem; vel sen-  
 tentiam, interpretationis authenticæ  
 nomen remanet: si tacite id fiat, usua-  
 lis vocatur, quoniam Superior tacens,  
 dum subditi, vel litigantes hunc vel  
 istum sensum per usum sequuntur,  
 eundem approbare videtur. Usus  
 enim & consuetudo ob tacitum Su-  
 perioris consensum tantum possunt,  
 quantum jussus ejus expressus. *Vid.*  
*L. 37.*



L. 37. ff. de LL. L. 34. ff. de R. J. Vocatur ista a Doctoribus *Observantia Interpretativa*. In Saxonia uti ad consuetudinem introducendam opus præscriptione; *Carpzov. P. II. C. 3. D. 21.* ita & usualis interpretatio firma non est, & indubia, nisi iste temporis lapsus accedat. Id quod etiam usualis interpretationis sententiæ vel decreti judicialis intuitu locum habere, respondit noster Ordo Mens. Jun. 1707.

VIII. Non vero deneganda etiam *Privatis* est hæc interpretatio *non est deneganda.* privatis, vel illis dictis, ac scriptis, quæ profecta sunt a pari. Quod si enim res ab unius potestate pender, is, quamdiu superest, voluntatem omnium optime interpretari potest suam. Exemplum est in *testatore*, quo nemo melius obscuritatem, quæ in ultimam voluntatem irrepsit, tollere potest. Quod si vero ex duorum vel plurium arbitrio vel conventionem rei pender, & alteri jus quæsitum sit, authentica interpretatio non nisi ex utriusque placito fieri potest. Sic si duo pacti sunt, non potest

potest unus pacti sensum ex suo ingenio alteri obtrudere; sed si inter illos non conveniat, regulis interpretationis doctrinalis utendum. Vid. tamen dicta supr. Cap. II. §. 22. Conf. *Dn. Thomaf. Pr. Logic. c. 3. §. 30. Juris Publ. Prud. nostr. Cap. LIX. §. 4.* Quod si etiam usus pacti interpretationem suppeditaverit, pro sitacita interpretatione authentica ea habenda est.

*Quomodo interpretacionibus utendum?* IX. Extremo notandum, usualent interpretationem quoad exercitium primum locum obtinere, atque sic ante omnia indagandum, quomodo Lex, sententia, vel pactum hactenus intellectum fuerit. Si ex usu interpretatio fieri non possit, ad doctrinalem est deveniendum; & si nec hæc sufficiat, ad *authenticam*, expressam scilicet, si haberi potest, confugiendum est.




6b

58239


HB 58239

Vol 18 RDA  
e. Huel ZAL

Ad 18A



in  
au  
elDet  
St  
den  
n de  
do  
s & c  
uste  
i m  
o f  
omp  
uo  
am  
p.  
  
the  
H  
stic  
  
r  
C  
l  
nn  
rt  
lan  
ten



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

2

C. H. HORNII, IC.  
PRÆLECTIONES PUBLICÆ  
DE  
INTERPRETATIONE  
JURIDICA,  
editæ  
*In usum Auditorum.*

WITTEBERGÆ,  
TYPIS ET SUMPTIBUS CHRISTIANI GERDESII,  
M DCC VII.

